Disputatio inauguralis medica de laesione oris scorbutica ... / praeside ... Johanne Arnoldo Friderici ... anni M.DC. LXXII. ... submittit ... Benjamin Scharffius.

Contributors

Scharf, Benjamin, 1651-1702.
Friderici, Johann Arnold, 1637-1672.

Publication/Creation

Jenae : Literis Mullerianis, [1672]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/nynhg6za

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

LÆSIONE ORIS SCORBUTICA

Quam

Annuente ſupremo Numine,

Decreto & Autoritate Illuſtris ac Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ

in celeleberrima SALANA

PRÆSIDE

VIRO

Nobiliſſimo, Excellentiſſimo atqve Experientiſſimo

DN. JOHANNE ARNOLDO FRIDERICI

Phil. & Medic. Doctore, Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices Profeſſore Publico famigeratisſimo, Medico Provinciali Saxo-Altenburgico feliciſſimo.

DN. Patrono atque Promotore nullo non honoris & obſervantiæ cultû æviternùm colendo atqve devenerando

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA SOLENNI MODO CONSEQVENDI,

Ad d. Martii ANNI M. DC. LXXII.

horis ante & pomeridianis

publicæ eruditorum cenſuræ

ſubmittit

in Auditorio Majori

BENJAMIN SCHARFFIUS

NORTHUSA CHERUSCUS.

JENÆ, LITERIS MULLERIANIS.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS PRUDENTISSIMISQVE

LIBERÆ CIVITATIS IMPERIALIS NORTHUSÆ

DNN. CONSULIBUS
DN. SYNDICO
DNN. QVATUORVIRIS

CÆTERISQVE

DNN. SENATORIBUS

Dominis suis Mœcenatibns, Promotoribus atqve Benefactoribus omni observantiæ genere ad urnam susque colendis & suspiciendis

Hanc

DISPUTATIONEM IMAUGURALEM MEDICAM

in grati animi ob tot tàm summa tamq; splendida & varia collata beneficia signum & perennem eorum memoriam

sacram esse jubet

Benjamin Scharffius, Northus.
Med. Doctorandus.

Σὺν τῷ Θεῷ.

PROŒMIUM.

QVemadmodum nemo in hâc mortalitate planè ab omni vitio immunis vitam exigit, ita etiam in toto hoc terrarum orbe haud facilè aliquis reperietur, qui ab omni morbo liber vitam exigat beatam, cum qvot diana indies testetur experientia, quod unusquisque suos patiatur manes, suaque sentiat incommoda; Ita, ut si quis Diogenem imitaretur, & sicut ille homines sapientes tempore meridianô accensâ luce quæsivit, ita & hic homines ex omni parte sanos quæreret, non mirum nobis videri deberet, aut insolens: A teneris enim nos morborum caterva sequitur, ita ut infantes, quamprimùm auram vitalem degustârunt, suos habeant morbos. Nec ætas florentior iisdem caret, quin iidem nobis adhæreant ad ultimum usque vitæ halitum.

Nullus hic sexus, ætas nulla, nullum vitæ genus morbos suos potest effugere, sed, sicut mors, ita & adjutores ejus morbi, æqvô pede pulsant pauperum tabernas regumque turres, æquâ lege sortiuntur insignes & imos, corpora æquè virorum ac fœminarum invadunt, nec ulli sciunt parcere. Quid multa? Præsens hæc Disputatio Inauguralis supra dicta evidentissimè declarabit, in quâ læsionem oris scorbuticam commune tàm

virorum quàm fœminarum malum infensissimum exhibere constitui, & quia in praxi medicâ, quàm haud ita pridem in urbe præfecturâque Visenensi felici auspiciô sum auspicatus, tales casus oblati sint & adhuc offerantur, operæ pretium duxi, ut paulò accuratiùs naturâm supra dicti mali investigarem. Offero autem publicæ eruditorum censuræ, non unum sed quosdam affectus, læsiones & symtomata oris, scorbuticos quæ molestant. Hæc quidem qvoad nomen, locum ac alias circumstantias variant, causam tamen eandem agnoscunt, & ita curationem in generali consimilem expostulant. TE DEUM T. O. M. supplex invoco atque rogo, ut auxilio me Tuo instruere, cogitationes ad hanc rem idoneas suppeditare, Tuoque favore complecti velis clementissimè. Fac ut omnia tendant in Tui nominis sanctissimi gloriam proximiq; auxilium & incrementum.

CAPUT I

instituti rationem præmittit cum Definitione reali.

CUm res magnæ magnam etiam & gravem descriptionem expetant, nec angustis cancellis se includi patiantur, jure meritoque laudis palmam assequitur, qui rem magni momenti & ponderis magno & vasto verborum apparatû exornat & illustrat, ac relictâ brevitate rem prolixè extendit. Qvapropter si in hâc Disputatione morbum aliquem gravissimum tractandum suscepissem & de ejus natura & cura aliqvot pagi-

nas

nas conſcripſiſſem, certus ſum, quod nemo hoc in pejorem partem rapuiſſet:

Verùm cum ſemper brevitati aras erigere conſveverim, nec unquam B. L. multis verborum ambagibus morari animum induxerim, talem ſelegi materiam, qvæ tàm ſpetiosè ac prolixè explicari, quàm etiam brevibus complecti apta eſt pagellis; Sicqve in medium profero LAESIONEM ORIS SCORBUTICAM. Totum enim genus morbi, qvi Scorbutus dicitur, cum omnibus ſuis reqviſitis & comitantibus ſymptomatibus tàm breviter perluſtrare, posſibile mihi viſum non fuit. Eoqve magis me movit totum opus non aggredi, cum tòt de hoc affectu proſtent eruditiſſima ſcripta, ut vix qvid adinveniri poterit, qvod addi aut deſiderari queat.

De NOMINALI DEFINITIONE læſionis oris ſcorbuticæ parùm nunc erimus ſolliciti, cum origo ejus nota ſit. Nec ſcorbuti onomatologia propriè hic venit explicanda, ideoqve ſaltem hoc addimus, qvod ſub læſione oris ſcorbutica comprehendamus aliquot vitia, quæ partibus quibusdam in ore contentis à depravatione ſcorbutica ſolent accidere. Præcipuè autem agemus de *Gingivarum cruentatione & exulceratione. Nigredine, vacillatione & exciſione dentium.* Qvibus deniqve *oris fœtorem & aphtas ſeu ulcuſcula*, quæ *Gvil. Fabric. Ozenæ* dicuntur, annectemus.

Ad rem ipſam cum ſit accedendum, prolixiores eſſe nolumus, ſed DEFINITIONEM aut potiùs deſcriptionem læſionis oris ſcorbuticæ proponimus, quam talem exhibemus.

Læſio oris ſcorbutica eſt vitioſa conſtitutio oris ejusque partium, ab humoribus vitioſis ſcorbuticis proveniens; & actiones ſenſibiliter lædens.

Genus in definitione diximus *vitiosam constitutionem*, addidimus subjectum, qvod est *os cum suis partibus*, in reliqvis verbis causas notavimus, de quibus omnibus infrà jam fusiùs agendi erit occasio. Ad *symptomata* reduci omnes læsiones, à nobis quæ explicandæ sunt, unicuique facilè constabit, rem accuratiùs pensitanti, quæ intemperiei, ut morbo prægresso, natales plurimâ ex parte debent.

Caput II

subjectum adducit.

Subiectum Primarium, qvod afficitur, constituimus *os*, verum cum os non sit pars simplex, sed composita, ex multis membris, ut loquitur *Savanarola in pract. maj. tract. 6. cap. 9. p. 101.* partes oris, ut gingivam & dentes, cavitatem item palati fauces dictam, simùl intelligimus, cum in iis vitium sæpissimè inveniatur. Hinc non iniquè cum *Mercuriali in præl. pract. Capivacio*, ac aliis statuimus omnes has partes oris subjecti primarii locô poni posse.

Cum os & partes ejus subjectum dicimus depravationis scorbuticæ, non ita illud intelligimus, qvod os cum suis partibus solum sit subjectum, exclusis omnibus aliis corporis partibus, cum experientia abundè cumulateque testetur, qvod scorbutus nulli ferè in corpore membro parcat, sed callidus hîc protheus omnibus ita se associare noverit ut vix minima particula ab hoc hoste tuta inveniatur: Caput enim regiam mentis sedem satis oppugnat, thoracem horribiliter invadit, nec abdomini, nec artubus parcit, sed totum corpus miseris

ris torqvet modis; Verùm hoc ita intelligendum, quod, cum unam saltem depravationis scorbuticæ speciem; qvæ os cum suis partibus concernit, considerandam nobis proposuerimus, meritò os ejusque partes pro adæqvato subjecto quod afficitur venditamus.

Qvomodo autem os cum suis partibus lædatur medici æqvali non explicant modô. Nec vias ponunt consimiles, per quas vitiosa materia adfluat.

Nonnulli putant materiam crudam salsam & acrem in ventriculo collectam, ex liene in os derivari, quæ gingivam erodat ac fauces & materiam ad exulcerationem præbeat, hinc dentibus vitium inferat & oris fœtorem excitet.

Alii existimant ex arteriis in os pervenire materiam peccantem, quæ partes vicinas corrumpat.

Recentiores in ea sunt opinione, qvod ex lymphaticis & salivalibus ductibus materia salsa & acris in os perveniat, & ab hac os cum vicinis partibus lædatur.

Verùm rigerosè has sententias examinare nostri non est instituti, propterea contenti sumus verbis *Magnif. Dn.* ROLFINCII *Patroni & Promotoris nostri nunqvam satis colendi*, qvi de hoc in *Ord. & Meth. med. spec. consult. libr. 8. consult. 8.* ita disserit: tenendum colluviem vitiosorum humorum duplici constare parte, tenui ac ichorosâ, crassâ itidem, salsa ac feculenta. Illa ἀνάῤῥωπος, utpote subtilior, suprema petens per arterias carotidas in os deponitur.

In sequenti paragrapho annectit hæc: Gingivæ sanguinolentæ fiunt, translato ad has sanguine salsugineso, sal hoc admixtum membranas vasorum arrodit.

Ex hac

Ex hac utiqve oriri putamus, quod læsa gingiva dentes simùl lædantur, nec volumus planè negare, quod vasa salivalia quid conferant, cumqve notum sit vapores corruptos in ventriculo oriri, non mirum, cur os tàm fœtidum acqvirat odorem.

CAPUT III

agit de causis. Immediata, mediatis tàm proximioribus, quàm remotioribus.

De CAUSIS cum simus acturi, observabimus communem illam & accuratam divisionem in Immediatã ac Mediatas proximiores & remotiores. Hæ præter causas Chimicorum dispescuntur in humorosas & vaporosas: Humorosas esse in qvibus humores peccant & vitiosam dispositionem corpori humano inferunt, notum. Vaporosas appellari, quando Vapores partibus læsis molestiam creant, morbumq; inducunt, constat. Nostrum jam est, exhibere primùm Causam proximam immediatam, & post mediatas adsociare.

IMMEDIATAM consimilem constituunt multi autores ac in scoburto ipso, vitium utpote humorum acrium. Hinc humorem melancholicum & serosum incusat *Wierus in prax.* & *Dodon. de magno liene.* Specificam corruptionem cum *Bald. Ronseo* intelligunt alii. *Gregor. Horst. l. 7. de morb. contag.* unanimem se præbet in sentiendo, dum sanguinem crudum ichorosum specificâ corruptione peccantem pro immediata causa habet, æquè scorbuti ac symptomatum, inter quæ & oris sunt.

Licet

Licet itaque aliis in schola Helmontiana educatis, ut causa proxima constituatur defectus fermentationis, aut juxta *Grembs. l. 26. arbor. integr. & ruinos. de morb. splenis.*, mala digestio stomachi, ob defectum fermenti. Vel secundum *Kotsack. de* ☉e, humor ☉nus terrestris, cum ♀re vitiato ac specificè corrupto. Nolumus tamen litem hanc dirimere, cum propriè hæc ipsum malum scorbuticum concernant, cujus symptomata sunt à nobis recensita mala, quorum causam proximam in vitiatis humoribus facilè invenire possumus.

MEDIATAS PROXIMIORES *humorosæ* ac *vaporosæ* & hìc locum inveniunt. Humores abundantes primas quasi tenent, vapores his succurrunt, quod fœtor oris præcipuè confirmat.

Hoc itaque cum manifestum sit, meritò nunc inquirimus in *Vias & partes generantes & mandantes*, à quibus vapores æquè ac humores hi ortum ducant, & unde proveniant. Quæ si consideremus & examinemus reperimus quod variæ Autorum de hac re sint opiniones.

Nonnulli, qui lienem pro receptaculo humoris melancholici cum veteribus habent, illud viscus accusant, illôque officiô minùs rectè fungi statuunt. Cum quibus facit *Bened. Sylvatic. cent. 1. cons. & respons. med. obs. 19.* Adducit authoritatem Hipp. qui *l. 2. prædict.* dicit, *quibus lienes magni, iis gingivæ vitiantur, & os grave olet.* Coincidit *River. l. 12. prax. med. c. 6.* Ad lienis quoque morbos reducit *Hoefer. l. 3. Herc. med. c. 3.*

Alii, in quibus *Barbette* palmam ducit, lienem innocentem excusant & locum generationis humorum vitiosorum ventriculum faciunt, cum glandulis mesenterii tàm conglobatis lacteis, quam conglomeratis pancreaticis, sicut citatus autor hanc defendit sententiam *in prax. suæ libr. 4. cap. 3. p. 140.*

Paracelſici juxta consueta principia in liene, ventriculo, epate; ac aliis viſceribus infimi ventris, imò per communicationem in tota maſſa ſangvinea, deliteſcentia ⊖, ♃ & ☿ium procùl dubio in medium afferent. Nonnulli etiam ♀rum accuſabunt ichorosâ humiditate dilutum, in quo ἀκέρπης ſalium acrium contagioſorum, vitriolatorum, aluminoſorum, imò & arſenialicum deliteſcant, cujus reſolutio putredinem & ulcera facere conſvevit.

Verùm de hoc unicuique liberum relinquimus judicium & dicimus qvod omnia propemodum viſcera tàm primæ quàm ſecundæ coactionis ad vitioſam hanc prolem procreandam ſuum conferant ſymbolum, veſtigiis *Magnifici Dn. D.* ROLFINCII inſiſtentes, qui *in ord. & med. ſpec. conſultator.* variis in locis idem aſſerit. Inprimis *lib. 8. conſult. 6.* ſatis accuratè & expreſsè de hac re ita diſſerit: *Generantur hi humores in viſceribus primæ coctioni deſtinatis & ſecundæ, ob δύναμιν πεπονθοῖαν, facultatem læſam à frigida intemperie.*

Qvales autem ſint hi humores meritò quærimus, & reperimus, qvod humores hi ſint melancholici craſſi, mixti tamen & ſero diluti, in quo Autores medici unanimiter conſentiunt, inprimis *Cl. Sebizius in ſpeculo ſuo medicinæ Practic. part. 4. ſect. 1. cap.* 12. eleganter naturam horum deſcribit: Materia peccans eſt humor melancholicus, ſed multô ſerô eoque acri mordaci & ſalsô perfuſus, & peculiari ac propriô quôdam modô corruptus, qui ἄῤῥητος eſt & verbis exprimi nequit: Eſt enim reverà malignæ venenatæque alicujus qualitatis particeps. Nam ſimplex duntaxat melancholia ſi in cauſa eſſet, tunc etiam melancholici, lienoſi, quartanarii & qui afflictione hypochondriaca diſcruciantur, ſcorbutici forent omnes.

Ad hæc

Ad hæc non peculiaria & appropriata requirerentur medicamenta, sed aperientia, incidentia, attenuantia, abstergentia & evacuantia sufficerent. Notandum autem quod humori melancholico interdum etiam alii admisti sint, semper autem serosi, qui acres & salsi. Fusiùs etiam videri hic poterit *Schenkius in observ.* variis in locis.

Sed satis de hoc, restat nunc ut ad CAUSAS REMOTIORES accedamus. Ad has quod attinet istæ nobis occurrunt triplici numero, & sunt Naturales, Nonnaturales & Præternaturales. Qvibus Supranaturales quidam adjungunt.

NATURALES causæ sub se comprehendunt.

Temperamentum, quod melancholicum est, adeoq; ad humores melancholicos procreandos aptissimum & sicut δίκη δίκην ἴκτει καὶ βλάβη βλάβην, ita à temperamento melancholico melancholici oriuntur humores. De quibus fusiùs consuli poterit *Heinr. Regius in fundam. med.*

Ætas stata præcipuè his malis obnoxia, invenilis tamen non immunis, quæ sæpè multifarios in diætâ committendo errores, læsiones dictas quasi invitat. *Sexum* nobiliorem magis hic molestari judicabit *Lud. Mercat.* & *Vid. Vidius* in praxi cum aliis; quia copiosiores in usu rerum sex Nonnaturalium committat errores; Sequior tamen sexq; æquè ob humorum abundantiam, caloris inordinatam actionem ac vitam sedentariam eosdem insultus metuere debet. *Hæreditariam dispositionem* non inconveniter incusant cum *Herc. Saxon. in præl.* alii multi.

RES NONNATURALES si consideremus *Aer* primò nobis in ordine se offert; Frigidus imprimis ad excitandos humores non solùm multum valet, sed gingivis etiam præ aliis partibus infensus est, easque perver-

sâ suâ qualitate priùs afficit, quàm interiora & inferiora.

Regio quoque in hunc pertinet ordinem, quæ si frigida, ut septentrionalis & ab aëre maritimo, salsuginoso, exhalationibus variis scatente occupetur humores scorbuticos facili excitat negotio, sicut etiam experientia comprobat, quod talium regionum incolæ omnes propemodum sint scorbutici & morbus hic vernaculus sit & ἐπιχώριος, id quod *Barbette in prax. suæ lib. 4. cap. 3.* expressè asserit de incolis Hollandiæ & Germaniæ inferioris ita: *Hisce inquit regionibus adeò familiaris est scorbutus, ut nullus ferè reperiatur morbus, cui non aliquid scorbutici subsit.*

Eo res jam redit, ut nostræ etiam regiones vix tali titulo se possint subducere, cum plurimi de dictis affectibus scorbuticis conquærantur in hisce regionibus, ita ut illud malum indies longiùs serpere videatur, cum & Thuringia nostra, cœli aliàs clementiâ prædita, ab hoc non sit immunis, imprimis ubi ista undis acribus atque salsis perfunditur, seu ubi stagna & lacus vapores suos aëri communicant.

Aeri inter res Nonnaturales succedit *Cibus & Potus*, sicut hi multum boni in corpore humano possunt efficere; ita è contrario multorum malorum causæ sunt, cum videlicet cibi noxii potusque vitiosus ingeruntur. Sic in humoribus vitiosis scorbuticis excitandis cibus & potus magnæ sunt efficaciæ, ut si adhibeatur cibus crudus, crassus, qui difficilis est coctionis, qualis caro bubula vel suilla fumo indurata, lardum, petasones, sarcimina fumo itidem macerata, pisces marini saliti, ut haleces, asellus aliique his similes, ut & reliqua salsa omnia, quippe quæ salsis & acribus his humoribus salsam suam vim communicant, oleumque, ut dicitur, camino addunt,

dunt. Panis etiam crassus, biscocus, à furfuribus non benè repurgatus, item legumina coctioni resistentia, ut fabæ, pisa, lentes loco cibi adhibita facilè vitiosis his humoribus pariunt aditum.

Hic probè notandum, quod factâ ciborum in os ingestione, masticatione & deglutitione, diligenter cavendum sit, ne cibi particulæ quædam in ore remaneant, dentibus adhæreant aut in his excavatis retineantur; Ibidem enim facilè putredinem remanens res cibaria acquirit, quæ dentibus & gingivis communicatur, à quâ oris fœtor excitatur, atque ita vitii robur armatur.

POTUM noxium quod concernit, ille est cerevisia crassa, ex undis squalidis cocta, minus rectè defæcata & cui parùm lupuli adjecta, item aqua turbida, salsa & palustris, quæ omnia rem deteriorem reddere sunt aptissima, ideoque cibus eligendus & potus utilis, de quibus autem in diætæ recensione fusiùs erit agendi occasio.

Qvies & motus in rerum nonnaturalium numero consideranda meritò sunt: medium hic tenere videtur optimum, nam non nimius solum motus, verùm etiam nimia quies corpus ejusque facultates reddunt languidas, quibus ita constitutis humores indies depravantur, & sic alterna quod caret requie non est durabile. Propterea & nimius motus & nimia quies fugienda; mediocritas sanitatis asylum expetenda.

Somni & vigiliarum eadem est ratio: Sicut enim moderati somni beneficia admiranda, ita incommoda ab excessu orta aut defectû detestanda. Inprimis somnus meridianus post prandium non admittendus, ἀγρυπνία etiam corrigenda, cum ista humores cumulare soleat.

Nunc attendenda veniunt *Excreta & Retenta*, quæ si minùs rectè se habeant, fenestram malis his humoribus aperiunt, corrupta enim toti corpori humano maculam & labem aspergunt. Præcipuè sanguis menstruus lunari debito si non respondeat, quod plerumque & hoc malo affectis evenire solet, liberale his humoribus conferunt symbolum. Defectus sudoris justo tempore, non immeritò accusatur à multis.

Agmen claudunt *Animi Pathemata*: Ira & tristitia humores vitiosos accumulant & his procreandis strenuè inserviunt, ideoque qvi sapit, aut cui salus sua cura cordiqve est, fugiat, nam latet angvis in herba.

RES PRAETERNATURALES nunc etiam attingendæ. Sed qvis qvæso has omnes brevitati si velit studere recensebit, qvis tàm varios affectus, tàm varia symptomata qvæ in generandis vitiosis humoribus conveniunt, ordine enumerabit? Propterea desiderium nostrum expleat *Magnif. Dn.* D. ROLFINCIUS, qvando *in ord. & meth. med. spec. consult. libr. 8. consult 6.* ita dicit: *Præternaturalis causa est intemperies ventriculi & intestinorum.* Hoc non solùm in loco jam citato satis explicat, verùm etiam seqventi consultatione septima evidentissimè illustrat, inqviens: *Imprimis in culpa est ἀκπιπρεξία jecoris in calidum, ventriculi in frgidum succum alimenta mutans, unde plurimi hetrogenei humores colliguntur, lienis sangvificatio vitiatur & non levis oritur ventriculi infirmitas, ob qvam prima coctio non ritè peragitur, sed ejus loco fit μόλυνσις. In liene deficit πνευμάτωσις, colligitur sal fixum & ♀ coagulatus, qvi nonnunqvam resolutus liqvescit & aliis serosis humoribus dilutus totum corpus pervagatur.* In aliis causis p. n. nolumus prolixio-

lixiores esse in recensendo, cum ex scorbuti ipsius historia abundantissimè innotescant.

CAPUT IV

differentias aggreditur.

DIFFERENTIAS læsionis oris scorbuticæ si quis considerare velit, numerum earum innumerum propemodum esse reperiet, multa enim habet symptomata, quæ nonnunquam adsunt, ideoqve genericè tantùm loqvamur, dicentes, qvod læsio oris scorbutica sit respectû GENERIS considerata vel *sine symptomatibus vel cum symptomatibus* subseqventibus.

SUBIECTUM qvoad aliæ non dantur, qvam hæ, quæ distinctas oris partes læsas ostendunt. Qvæ ad CAUSAS spectant differentiæ desumi possunt *à modo generationis*, ita ut malum illud sit vel *hæreditarium*, vel *communicatum* & *acquisitum*. *Hæreditarium* dicitur, cum homo à parentibus semen mali accepit, qvod ostendit & truncum & caules, ut cum *Magnif. Dn.* D. ROLFINCIO ex supra allegata *consult. 6. libr. 7. loqvar*, formavit, cumqve à mammis matris suæ pependit, lac multo ♀o conditum suxit. *Communicatum* appellatur, qvando ab homine infecto per contagium illud accepit, id qvod facilè fieri potest, cum valde contagiosum sit, ita, ut si qvis cum infecto eodem utatur poculo, illicò coinqvinari possit. *Acqvisitum* deniqve dicitur, si quis ex errore in diæta commissô illud sibi comparavit.

A tempore invasionis qvoqve petendæ sunt differentiæ, sicqve læsio est vel *recens*, vel *inveterata*: *Recens* dicitur, quæ adhuc est in principio, & haud ita pridem cor-

pori

pori humano bellum indixit classicumqve cecinit. *Inveterata* est, qvæ ex longo tempore altas jam egit radices & jus possessionis sibi vindicavit.

Ab ipsa qvoqve gingivarum exulceratione nonnulli accipiunt differentias, & distingvunt inter *exulcerationem corrosivam levem & exulcerationem gangrænosam.* *Corrosivam levem* dicunt, qvando ulcera gingivæ proveniunt ab humoribus acribus, salsis & impuris, qui membranas gingivarum erodunt & materiam ad exulcerationem præbent, quæ si evacuetur, exulceratio desinit & gingiva consolidatur. *Gangrænosam dicunt*, qvando exulceratio talis fit incurabilis, latiùs serpit & in cancrum permutatur.

A dentium deniqve læsione desumunt nonnulli differentias, ita ut dentes corrumpantur vel *nigrediue*, vel *vacillatione*, vel *excisione*, verùm cum hæ magni non sint momenti, longos sermones de his non faciamus sed ad alia properemus.

CAPUT V

signa enucleat Diagnostica & Prognostica.

SIGNA nunc læsionis oris scorbuticæ aggredi & ordo postulat & necessitas, anteqvam curationem suscipiamus, *μόνος γὰρ ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος εἰκότως ἐπχειρέει solus enim is qvi signorum cognitionem habet curationem ritè aggreditur*, ut rectè dicit *Cous* in l. περὶ ἰατρῶ sub finem,

Distribuimus signa more conveto in DIAGNOSTICA & PROGNOSTICA.

DIAGNOSTICA quod attinet, notamus, quod scorbu-

ſcorbutus conſideretur vel *genericè*, ita ut totum corpus occupet, vel *ſpecificè*; quatenus una ſaltem ejus ſpecies manifeſtè ſe prodens & in hoc vel illo membro reſidens cernitur. *Priori modo* ſcorbutum conſideratum cognoſcere res eſt difficilis, cum tot habeat conjuncta ſymptomata; ut nihil certi, an ſub hoc vel illo comprehendatur, aſſeri poſſit, & hæc vel nunquam, vel rariùs in omnibus ſubjectis concurrere ſoleant. *Severinus Eugalenus in tractatu ſuo de Scorbuto* quadraginta novem deſcribit ſymptomata, & certè tanta eſt ſcorbuti ſimulatio totq; mentitur ſymptomata, ut multoties medicos decipiat, jam enim pleuritidem æmulatur, jam colicam bilioſam, jam veram paralyſin, ita ut juratò hos affectus adeſſe affirmare aliquis poſſet. Præprimis arthritidem quæ vaga & ſcorbutica dicitur accuratè imitatur, quà de nervosè ſcripſit *Excellent. Dn. D. Mollenbroc. in tractatu peculiari.*

Sed cum difficilia etiam inveſtigare cordati ſit medici, accedamus jam ad rivulos, qvos emittit fons ſignorum diagnoſticorum, ſignaque principaliora quæ partim læſioni noſtræ ſunt ſpecialia, partim generalia, cum ſcorbuto ipſo communia conſiderabimus.

GENERIS itaque ratione, præter autopſiam, vitia oris demonſtrant: Ipſa diſpoſitio ægrotantis, hunc enim ſi quoad alias partes ſcorbuticum eſſe obſervat Medicus, certior eſſe poteſt, læſiones oris ſcorbuticæ materiæ adſcribendas eſſe, uti benè notat *Heurn. in praxi.*

Reſpectû Generis quoque ægroti os intuenti facilé apparebit, præſertim ſi relatio propria accedat, an longa & inveterata, an recens genita, incipientia & in fieri adhûc conſtituta ſint ſymptomata.

SUBIECTI ſigna in avtopſia plurima ex parte

consistunt, ubi enim affluxus materiæ, ibi tubercula, ibi erosio cutis, ibi putredo carnis, ibi corruptio ossis, vacillatio dentium & similia contingunt, quod nunc fit solum in unâ vel alterâ parte, sæpiùs in pluribus simùl.

CAUSARUM examen copiosam signorum afferre potest congeriem; Prout enim temperamentum, dispositio hæreditaria, modus utendi res sex nonnaturales, contagium, morbosæ dispositiones, aut prægressæ, aut adhuc præsentes, se habent; Eatenus, si legitimum examen instituatur facilè apparebit, quæ causæ in nostro affectu accusari qveant. Symptomata etiam de quibus ægroti conquæruntur, certiorem facere possunt medicum inquirentem

Sunt etiam in singulari consideratione, signa ex urina desumta quibus quidam ea adjungunt, quæ ab investigato pulsu proveniunt. Quæ tamen potiùs valent in tantum, non in totum sæpè, præcipuè quæ ab urina sunt, tàm ipsum scorbutum, qvàm à nobis descriptas oris læsiones scorbuticas manifestantia, fallunt sæpè. Dicendum tamen de hisce.

Pulsus varietatem talem amat, ita ut nonnunquam sit magnus & robustus, interdum etiam debilis, prout humores sunt dispositi, plerumqve tamen sit inæqualis.

Urina sicuti in ipsis scorbuticis, & hìc etiam variat, variantibus accidentibus & humorum dispositione, jam enim tenuis est, jam crassa, jam clara, jam turbida cernitur, nonnunqvam rubrum, nonnunqvam alium inducit colorem, sicut nigrum habuisse nonnullorum scorbuticorum urinam, testatur *Deckerus in notis ad prax. Barbett. pag. 142.*

Inter-

Interdum arenulæ in ◻ apparent rubræ, nonnunquam aureo colore imbutæ medicos decipere solitæ, dum visis his arenulis de calculo renum aut vesicæ suspicantur. Verùm rectè monet ultra laudes positus Athenæi Salani SENIOR *in loco supra citato*, qvod sangvis scorbuticorum fertilis sit arenis copiosis, ut Euphratis aqua, nec putandum esse illicò calculum adesse. Sicut enim non omnis pingvedo indicat colliqvationem partium, ita nec arenulæ calculum, præsertim si absqve dolore excernantur.

Tales arenulæ qvandoqve etiam in cute apparent scorbuticorum, de qvibus accuratissimè & elegantissimè sæpè citatum *Magnif. Dn.* D. ROLFINCIUM differentem audiamus *in ord. & meth. med. spec. consult. libr. 8. consultat. 6.* Scorbuticorum, *inqvit*, sangvis plenus est arenulis, egrediuntur verò ex peripheriâ, qvia facultates naturales irritatæ ad propinqviora detrudunt: ex poris procedunt, qvod facultates non rectè fungantur suô officiô, cum excrementa hæc vel ad alvum vel ad renes pertineant. Hæc per cutim evacuatio non adeò difficilis est: ambitus qvippe superficialis à calore dum aperitur, tumultuantibus humoribus, colliguntur lapilli, donec cuticulam ejusq; foveas obsideant liberiùs.

In specie autem si scorbutus sit cognoscendus, res videtur facilior, sicut in nostra læsione, ubi signa depravationem scorbuticam indicantia satis manifestè apparent. Nam si gingivarum cruentatio aut exulceratio, dentium nigredo, vacillatio & excisio, aut oris fœtor in homine appareant, intrepidè depravationem scorbuticam, observatis aliis supra allegatis accidentibus, adesse, quis non asseverabit? sed de his prolixiores esse nolumus & accedimus ad

PROGNOSIN. Hanc quod concernit, more consvetô triplici modô illam instituimus & consideramus *1.ratione salutis & mortis. 2.ratione longitudinis & brevitatis. 3.ratione modi eventûs.*

Nolumus hic repetere consideratione genericam ac specificam, sed qvæ ad nostras adductas oris læsiones præcipuè spectant, potiùs adducemus.

SALUTEM itaque & MORTEM quod concernit: Sicuti scorbutus est satis periculosus, imò inveteratus incurabilis. Ita à nobis allegata symptomata scorbutica singulari periculô non carent, & si inveterata sint, curam plenariam rarò admittunt; Præcipuè si causæ sint vel hæreditariæ vel inveteratæ aliàs, & si nova semper materia peccans pabuli adinstar ad partes læsas adfluat. Si autem recentia mala, tale periculum non metuendum. Ætas florens, virium robur, alteratio post assumta medicamenta ad meliùs, spem pollicentur bonam, notantibus *Heiurn. Hoefero, Sylvatico, Horstio*, ac aliis. Malum omen est si maculæ tàm in toto corpore qvàm etiam præcipuè in ore ac faucibus reperiantur ex puniceo livescentes, observantibus *Foresto, Schenckio, Riverio, Borello, Rhodio* ac permultis aliis. Livorem faucium rectè pro periculoso signo habent *Brunner. in cons. & Ballon. in observ.*

LONGITUDINIS & BREVITATIS ratione, eôdem ut supra diximus modô consideramus nostros affectus. Malum scorbuticum totum corpus si occupet & inveteratum aut hæreditarium sit, longis ac chronicis affectibus meritò adnumerantur recensita scorbutica symptomata. Brevior tamen curatio promitti potest, si læsiones dictæ adsint, nec multum inveteratæ, præcipuè si sedulò adjungantur, qvæ ipsum malum scorbuticum respiciunt remedia.

MODUM

MODUM EVENTUS si aspicimus, & qvomodo ad salutem vel mortem tendere qveat, consideramus, fateri cogimur, qvod scorbutus in se consideratus, haud rarò lethalem exhibeat interitum, præcipuè si in hydropem, atrophiam, cachexiam aliave degeneret mala, & materia peccans, nec per motum naturæ qvasi criticum, nec per vomitum, alvum, hæmorrhoides, menstrua evacuetur justô tempore. Quæ verò de scorbutico malo hic diximus, eâ læsionibus oris scorbuticis, à nobis allegatis æqvô jure accommodari poterunt. Hôc tamen observato, quod de harum constitutione ac accidentibus, respectû scorbuti in essentia considerati, mitiùs judicium prognosticum sit ferendum.

CAPUT VI

curationem complectitur & fontem aperit Chirurgicum.

QVemadmodum Viator viæ ignarus metam sibi propositam haud feliciter attinget, nisi viæ præmonstratorem sibi conciliet & hujus ductum seqvatur, ita altiora medicinæ sacra perlustrare, adque praxin medicam pervenire si velimus, rebus nostris meliùs non consulemus, qvàm si ductores nobis eligamus, qvi ad arcana curatoria viam ostendunt. Tales sunt tres illæ notæ INDICATIONES, ut CURATORIA, PRAESERVATORIA & VITALIS.

CURATORIA ex his ad præternaturalia corrigenda, pravas dispositiones emendandas & sanitatem adjuvandam nos perducet. PRAESERVATORIA causas extirpare jubebit, humores peccantes imminuet, totisque

viribus ut hostis profligatur, incumbet. VITALIS denique in hoc suum observabit officium, ut omnia quantum possibile ad statum naturalem reducat roburque partibus addat.

Materiæ præsidiorum desumendæ ex tribus consvetis fontibus, ut CHIRURGICO, PHARMACEUTICO & DIAETETICO.

CHIRURGICUM FONTEM si adeamus, illicò occurrit nobis V. S. quæ num licita sit, in dubium vocat *Barbette in praxi sua lib. 4. cap. 3.* inquiens: *Venæ sectio non prodest*: Verùm cum aliorum magnorum etiam Virorum judicio V. S. firmô stare possit fundamentô, meritò iisdem calculum adjicimus niveum, & dicimus, quod V. S. non solùm adhiberi omninò debeat in eo scorbuto, qui totum corpus occupat, verùm etiam in ea læsione scorbutica, quæ os cum partibus suis affligit, de qua nunc nobis sermo est. Ideoque tempore commodo modica sanguinis quantitas educi potest, & quidem in scorbuto toti corpori inhærente ex mediana vel salvatella manus sinistræ, & si fœmina hôc corripiatur malô cui menses subsistunt, ex saphenis pedum potest fieri evacuatio. Si autem oris læsionem scorbuticam solam consideremus, possunt quidem pro temperatione humorum venæ prædictæ etiam aperiri, vel possunt tantùm venæ sublinguales aut saphena malleolaris secari, ex quibus sanguis ad ℥ III. vel IV. potest emitti, habitâ ratione aliarum circumstantiarum.

Generosiora remedia præcipuè in ulceribus oris scoburticis exhibet *Severin. in Chirurg. efficaci.* Recenset quoque quædam *Ferrius tr. de arthrit.*

Autores aliàs in scorbuto commendant *cucurbitulas* variis in locis applicandas, *hæmorrhoidum apertionem, scarificationes & frictiones*, imò non disvadent *fontanellas*, præsertim

ſertim in principio morbi, eſſe excitandas. In læſione oris ſcorbutica hæc recenſita eatenus poſſunt adhiberi, quatenus humores melancholici, ſeroſi & acres temperandi, vel è corpore educendi, ne ad partes alias vagabundi pro more tranſeant, iisque moleſtiam creent. Præ aliis verò *ſacrificationes* in ſcapulis locum habere queunt, ſiquidem conſtat, quod adhibitis his gingivæ eò citius à malo ſuo ſint liberatæ. Coincidunt hîc *Hoefer, in Herc. med. Blaſius, Beckerus* aliique veteres æquè ac recentiores. *Veſicatoria* in nuchâ & brachiis applicata revellendo ac derivando plurimum valere in talismodi exulceratione ſcorbuticâ, aliquoties obſervavit *Nobiliſſ. Dn.* PRAESES.

CAPUT VII

ex fonte Pharmaceutico depromit medicamenta generaliora.

CONvertimus nos nunc ad FONTEM PHARMACEUTICUM, ex quo generoſiſſima haurire licet remedia. Antéquam autem rem rectè aggrediamur, præmittimus, quod dupliciter curationem inſtituere velimus, *generaliter & ſpecialiter*, & ſic in hoc capite conſiderabimus medicamenta generaliora, quæ humorum præparationem, evacuationem & correctionem reſpiciunt, in ſequenti autem capite remedia, quæ ſpecialiter ad oris læſionem ſpectant ſubjungemus. Quorum omnium ſymptomatum curationem accuratè explicatam reliquit *Heurn. tom. I. oper. lib. de morb. ocul. aur. & oris c. II.*

Cum autem res ante in priſtinum ſtatum locari non poſſit, quam noxia & naturæ inimica è medio ſint ſublata, & effectus non tollatur, niſi cauſa removeatur, *Eva-*

cuan-

cuantia optimè nobis inservient. *Lenientia* autem in principio utiliora putamus, quàm illicò adhibita purgantia fortiora, cum ista interdum plus detrimenti quam adjumenti ægris intulisse, notum sit ex observationibus Practicorum. Talia lenientia possunt esse sequentia.

℞. *diagryd.* ♃*at.* ℈. *VI.*
magist. gialapp. ℈. *V.*
elæosach. cochl.
nasturt. an. ℈. iij
M. F. Pulvis D. in charta. S. Lind Pulver auff einmahl.

Pilulæ si placeant tales possunt concinnari.

℞. *MP.* ♀ *ir. Qvercet. cochicar. a.* gr. vj.
extr. Panchymag. Croll. gr. iv.
Misc. F. cum s. q. syr. cochl. Pilulæ mediocres D. in pyxide Sign. S. Laxier-Pillen.

Cum nonnullorum ægrorum os planè à pulveribus & pilulis abhorreat, potio seqvens substitui potest.

℞. *rad.* v. *aperient. an.* ℥ß.
herb. nasturt.
becabung. an. p. iij.
chelidon. p. ij.
fl. cichor.
buglos. an. p. iiß.
summ. cent. min. p. i.
fol. senn. s. s. ℥ß.
Coqv. in suffic. qvant. ♎ *cochl. Colatur.* ℥jv. *add.*
extr. Rhabarb. ℈. vij.
Jalap. ℈. iv.
Edulc. parùm.
D. in fictili S. Laxier-Tränckelein auff 2. mahl.

Si

Si Bolus placeat, adest sequens.

℞. *conserv. cochlear.*
rosar. an. ʒß.
pulv. laxat. vegetab. Magnif. Dn. D.
Rolfinc. g.xv.
Misc. F. Bolus D. S. Laxierbissen auff 1. mahl.

Qvod in singulis antiscorbutica admisceam, nemini mirum sit, siqvidem hoc admonitione clarissimorum Virorum permotus facio, qui faciliùs malum extirpandum dicunt, si singulis medicamentis antiscorbutica addantur, quæ simùl bellum vitiosis humoribus indicunt. Hæc medicamenta quomodo operentur, & quæ specifica sint, nervosè explicavit *Frid. Hofmann. Archiater Hallens. meth. med. l. 1. c. 19.* Lapidem bezoar singulare hic esse remedium recenset *Hoeferus in Herc. l. 3. c. 4.*

Post lenientia succedunt *præparantia*, quæ singulari vi & qualitate scorbuticis malis inimicâ pollent; variè possunt parari pro lubitu, sequens itaque Spiritus posset inservire, cum multum facere ad scorbuticos humores præparandos videatur.

℞. *cort. fraxin.*
tamarisc.
citr.
rad. fraxinel.
capp. an. ℥iß.
polypod. qvern. ℥ij.
raph. sylvestr. ℥iij.
herb. cochlear. m. iiß.
sceletyrb.
nasturt.
beccabung.
acetos.

scolopendr. a. m. jß.
summ. cent. min. p. iij.
bacc. laur.
junip. an. ℥vj.
sem citr.
sinap.
card. bened. an. ℥ß.
caryophyll. ʒjß.
cinamom.
nuc. Moschat. an. ʒiij.
laccæ granulat. ʒj

Concis. & contus. digerantur in arenâ cum vini generos. lib. VIII. *& vulg. lib.* III. *per triduum, deinde destillentur ex arena per alembicum, & servetur liqvor ad usum. Dos. g. 20. ad 30. in vehiculo convenienti.*

Plura qui desiderat, adeat *Chimiam in artis formam redactam Magnif. Dn.* D. ROLFINCII, ubi multa præclara antiscorbutica specifica reperiet, ut *mistur. antisceletyrb. in lib. 4. sect. 4. cap. 9. Elixir. antiscorbut. in lib. 4. sect. 2. cap. 13. & Spirit. scorbut. in lib. 3. sect. 1. artic. 2. cap. 20.* Quibus rectè adhibitis malum dare victas cogetur palmas. Coronidis loco addemus vinum aliquot medicatum & *pilulas antiscorbuticas D. Timæi* aliàs celebres. Vini medicati descriptio est talis.

℞. *herb. cochlear.*
nasturt
fumar an. p. iij.
rad. cichor
polypod.
scorzoner an. ʒij.
raph. rustic. n. 1.
flor. genist.

cont.

cent. min.
cichor. an. m.ß.
cort. aurant. ℥ j.
cinamom. elect. ʒ ijß.
Concis. contus. D. in charta S.
Species zu vier Kannen Wein.

Pilulæ antiscorbut. Timæi sunt tales

℞ *MP. melanog. Querc.* ʒ ijß.
extr. fol. Senn. ʒß.
resin. Jalap. ℈ vj.
♀ ⊕ *lat.* ℈ xiij.
⊖ *succin volat.* ℥ j.
sem. nasturt.
cochlear.
sinap. an. ℥ß.

Misc. F. cum aliqua aqua antiscobutica vel elix. pro priet Paracels. Massa. Dosis ad ℥ j. Similia purgantia describit *Franc. Rachin. tr. de cur. morb. qui purg. comit.*

Præparatis nunc humoribus, de iisdem educendis erimus solliciti, id quod fieri poterit per *purgantia*, quorum quasdam damus formulas.

In forma pilularum si desideretur medicamentum purgans, valdè erit proficuum, quod habet *Magnif. D.* D. ROLFINCIUS *in ord. & meth. med. spec. consult. lib. 8. c sult. 7.*

℞. *pil. tartar. Quercet.*
extr. panchymag. Croll. an. ℥ ß
resin. gialap. ℈ iij.
♀ ⊕ *lat.* ℥ß.
spir. cochlear. gt. iiij.
sir. viol. solut. q. s.
F. Pilul. num. XXI.

Potio-

Potione qui delectatur, sequenti uti poterit.

℞. *fol. Senn. s. s.* ʒiij.
rad. V. aperient. an. ℥j.
rhabarb. Alex. ʒj.
Coqv. in ▽. *fumar. q. s. colatur.* ℥iij ℔. *adde*
sir. cichor. c. rhabarb. ℥j.
essent. gialap. ʒj.
elæosach. cochlear. ℈. iv.

F. Potio. D. in vitro S. Purgier. Tränckleín.

Per os sumenda æger si recusaverit, sequens clyster applicari poterit.

℞. *herb. malv.*
alth.
chamædr. an. m ℔.
fumar.
melilot. an. p. iij.
flor. rosar.
chamæm. an. p. ij.
summ. cent. min. m. j.
rad. polypod.
asparag.
buglos. an. ℥j.
fibr. hellebor. nigr. præp. ʒiij.
prunor. damasc.
fic. pingv. an. n. x.
Coqv. in suffic. qvantit. aquæ fontan.
colatur. ℔. j. *add.*
elect. diaphænic.
bened. laxat. an. ℥j.
℞ *aneth.*
viol. an. ℥ß.

℞ ℞i ʒj.
F. Clyster, tepidè applicetur.

Cum etiam per ſuperiora, ut per vomitum egregiè poſſit fieri evacuatio, ſequens pulvis non absqve operatione erit.

℞. ♀. *vit. rit. præp.* ℈. jv.
elæoſach. fænic. ℈. iij.
Miſc. F. Pulv. D. S. Brechpulver.

Bolus cui arridet, ſeqventi utatur.

℞. *croc. metall. abſinth.* ℈. iij. *conſ. roſ.* ⊕ *lat.* ʒj.
Miſc. F. Bolus. D. in fictili lati orificii S. Brechbiſſen.

Ut etiam in forma liquida medicamentum ſit in promptu, potio ſequens adhiberi poteſt.

℞ ▽. *bened. Ruland.* ℥ij.
ſir. de fumar.
oxymel. ſqvillit. an. ℥ß.
M. F. Potio D. S. Brech-Tränckelein auf einmahl.

Per ſudorem & urinam cum multi humores vitioſi & noxii evacuentur, & de his quædam addere libuit.

℞. *ſpir. cochlear. naſturt. an.* gt. xv. *chelidon. min.* ℈ß. *tinct.* ♁ii. *correct.* g. vij. *m. d. in fictili. S.* vermiſchter Schwitz-Spiritus.

℞ ♁ *is cochlear. volat. C. C. volat. a.* g. jv. *pulv. bez. Senn.* g. vj. *M. D. S.* Schwitzpulver auff 1. mahl.

Potionem ſi quis deſideret, talis ſit

℞ ▽. *card. bened.*
ſcorzoner
flor. ſambuc. an. ℥ß.
theriac. recent. ℈j.
Miſc. F. Hauſtus D. in fictili. S. Schwitz-Mixtur.

Sequuntur nunc *Diuretica.*

℞ ▽. *petroſelin.*

apii
asparag. an ℥ ß.
spir. alkekeng. ʒv.
⊖*is* ℈j.
essent. oc. 69. ʒß.

Misc. D. in fictili S. Mixtur zum Wasser treiben, auff 3. mahl allzeit des Morgens.

Pulvis Diureticus talis esto.

℞. ⊖*is ononid.*
saxifrag. an. ℈ß.
lithosperm. ℊr. vj.
magist. oc. 69. ℊr. xv.

Misc. F. l. a. Pulvis D. S. Sonderlich Treibpulver auff vier mahl.

Huic etiam succedere aut substitui potest sequens.

℞. ⊖*is succin.* ℈ß.
▽. *petroselin.* ℥ß.

M. D. in vitro S. Harntreibend Wasser.

Evacuatis sic humoribus ad *alterantia* esset accedendum, verùm prolixitate in præscribendo hic non opus, cum his repletos inveniamus practicorum libros. Unicum exhibemo, quod ut singulare quoddã & medicamentum magnarum viriũ commendat sæpè citatus *Magn. Dn.* D. ROLFINC *in ord. & meth. med. spec. consult. lib. 8. cons.* vi. & plura cupientem lectorem eò remittimus, ubi desiderium satis explebitur.

℞. *rad.* v. *aperient. an.* ʒij.
raph. rustic.
chelidon. maj.
cichor. an. ʒiij.
fol. cochlear.
nasturt.
chelid mai.

sem. bon. ℥ij.
fragor. abiet. m. v.
formicar. canth. i.
Infund. in s. q. ▽. cochl. dest. & usui reserva.

CAPUT VIII

ex fonte pharmaceutico promit medicamenta læsionem oris scorbuticam spectantia,

SUpra diximus, quod sub læsione oris scorbuticâ comprehensuri simus cruentationem & exulcerationem gingiuarum, nigredinem, vacillationem & excisionem dentium oris, denique fœtorem, & exulcerationem in cavitate palati. Ideoque de singulis breviter dicendum.

In *cruentatione & exulceratione* gingivarum, faucium quoque varia præscribi solent, cum & simplicia & composita dentur quamplurima, quæ huic malo apta sunt resistere. In simplicium recensione prolixi esse nolumus, cum omnium Practicorum & Botanicorum libri his referti sint, ideoque ad composita statim accessum facimus, quæ variè possunt fieri. Sicuti singularia collecta videri possunt apud *Hœfer. loc. cit.*

In cruentatione gingivarum.

℞. ▽. plantag.
prunell.
fol. qverc. an. ℥v.
spec. chalcant. vitriol. an. ℈j.
mell rosat. ℥j.
alum. ust. ℈ß.
Misc. F. Gargarisma, qvo colluatur os.

Cum autem exulceratio plerumque comes esse soleat

leat cruentationis gingivarum, ambas connectemus, ne brevitatis lineas transeamus, unicum hoc addentes, quod facta puris evacuatione gingivæ probè sint mundandæ, quæ mundificatio cruentationem simùl prohibebit. Sequens itaque ex usu esse potest.

℞. *tinct granul. lacc.* ℥ß.
flor. aquil.
rosar. rubr. an. ʒß.
spir. cochlear. ʒij.
Misc. D. S. Mund-Wässerlein.

Vel

℞ *herb. plantag.*
prunell.
sangvisorb. an. mß.
rad. pyrethr.
tormentill an. ℥ß.
flor. papav. rhœad.
rosar. rubr. an. p. iij.
alum. ust. ℈j.

Stent in digestione lenis caloris, donec liquor rubeum acquirat colorem, transmittatur per linteum subtile, & cum refrixerit, indatur vasi vitreo, servetur ad usum S. ut supra.

Uberiora qvi desiderat, adeat præter alios *Riv. l. 6. prax. c. 4. & 5.*

Dentes si vacillatione & subseqvente excisione corripiantur firmari possunt sequentibus, ut

℞. *rad. ir. florent.* ʒj.
lign. aloes ʒß.
thur
mastich an. ℈iij.
cinamom ʒiß.

Pul-

pulveris. pulverisentur M. F. Pulvis D. S. Sonderlich Pulver die wackelende Zähne damit zureiben auff etzliche mahl.

Singulare experimentum *Fuchsii* est ad labiles dentes confirmandos, si folia bistortae in pulverem trita dentibus affricentur.

Decoctum seqvens etiam ex usu erit.

R. *fol. myrt*
salv.
bistort.
herb. bursa. past. an. p. iij.
rad. pentaphyll.
lapath.
torment. an. ℥j.
Coqv. in vino rubro styptico. Colatura servetur ad usum S.

Wässerlein die Zähne zu befestigen.

Nigredo dentium cum corpus aliàs elegantissimum possit fœdare, & sexus sequior elegantiæ inprimis studiosus & deditus qvodvis propemodum aliud malum tolleraret quam hoc, de eâ etiam auferendâ cogitabimus. Ex variis eligimus sequentia

℞. *rad. jr. flor.*
cyper. an. ℥ß.
C. C. usti,
mandib. luc.
mastich. an. ℥j.
cremor. ♃*i.* ℈iv.
M. F. Pulvis D. S. Pulver wieder die schwartzen Zähne.

Secreti loco nonnulli habent *cineres stipitum rosmarin, nicotianæ, origani, hyssopi, menthæ ac salviæ. item succum*

raphani

raphani in qvo sal solutum est, ex quibus quilibet eligere potest quædam pro lubitu.

Commendatur etiam *pulvis dentifricius Augustanorum*, & ille quem habet *Schröderus in pharmacopæa med. chymic. lib. 2. cap. 77.* cujus descriptio est seqvens.

℞. *silic. fluviat. calcin.* ℥iij.
lap. pumic. præp. ℥ß.
rad. jr. flor. ʒij.
℥. *stillat. ros. vel lign. rhod.* ℈ß.
M. F. Pulvis subtilissimus S. ut supra.

Spir. ♀ris aut ☉lis in instanti dentes dealbare, ab omni sorditie liberare & à carie præservare, testatur *River. l. 6. prax. med. c. 2.* Singulare quoque dentifricium præscribit *sect. 6. tyroc. pract. c. 9. Caspar Bravo de Sobremonte Ramirez*, quod æquè nigredini dentium ac putredini gingivæ & exulcerationi partium oris resistit.

Tandem devenimus ad oris fœtorem, qui ut mortali generi summe molestus è medio tollendus.

Perfici hoc potest pulvere sequenti

℞. *rad.* ℈r. *flor.* ℥ij.
cinamom. ℈iij.
nuc. mosch. ℈j.
caryophyll. ℈j.
cort. Aurant. ℈ß.
lap. prunell. ℈ß.
sacch. rosat. ℥ß.
℥ *still. menth.*
caryophyll. an. gtt. vi.
M. F. Pulvis D. S. Pulver wieder den stinckenden Odem.
ambra & moschus pro lautioribus addantur.

CAP.

cum dieta concludit.

DIAETA cum nonnunquam medicamentis præstet, ejus habenda est ratio: Consistit ea in *sex rerum nonnaturalium* consideratione.

Aer sit temperatus, purus, qui si non detur naturalis, arte hic contemperandus, & vel herbis dispersis vel accensis odoramentis comparandus.

Cibus sit facilis coctionis & bonæ nutritionis, qualis caro bubula non fumo indurata, sed elixa aut assa, vitulina, gallinarnm &c. Panis sit siligineus, clarus & optimus, è leguminibus eligenda qvæ in generosum apta sunt converti sanguinem. In usum trahi possunt ova sorbilia, embammata ex nasturtio, raphano rusticano, sinapi confecto, & id genus alia salutaria.

Potus comparari potest utilis, qualis vina mediocria, parcè adhibita, medicata etiam cum convenientibus ingredientibus, item cerevisia benè cocta, defœcata & cui multum lupuli adjecta, potest etiam plantis antiscorbuticis melior reddi, si hæ illi addantur.

Motus & qvies alternis se suscipiant vicibus, ut & *somnus & vigilia. Alvus* servetur libera & lunare tributum ordinariè fluat, si secus eveniat, commodis medicamentis partes in qvibus vitium hæret, admonendæ. *Veneris* quoque gaudia mediocritatem non excedant. *Animi pathemata* temperentur justô rationis frenô, & inprimis iræ, mœstitiæ, terrori & his similibus affectibus nocivis dicatur VALE.

Cum aurem brevitatis promissum vellicet & calamum manû quasi extorqveat, finem hîc dissertationi nostræ imponimus, & DEO T.O.M. gratias agimus maximas pro axilio præstito, summoperè rogantes, ut & imposterùm labori benedicere & omnibus nostris inceptis divinum favorem addere non dedignetur.

FINIS.

QVi fons Scorbuti, quei posſint ora pereſa
Scorbutô refici, diſſeris ore
TUO.
Acclamans cœptis Phœbi TIBI ſpondet honores;
Hinc, Patriæ ut reddas commoda mille, precor.

ita Nobil. Dn. Doctorando animitùs exoptat

PRÆSES.

Pri-

PRimam aciem Pallas ſtruxit.
Mediam armat Hygea.
Ultima ſigna tibi Cypris amica regit.
Qvis ferat oppoſitis ſeſe bellator in armis,
Suſticatve tuas numina tanta duces?
Non ego. Sed triplici ê certamine porrigo palmas
Victori, & fati ſtamina certa precor.

proper. addeb.

PHILIP. MULLERUS, P.P.

Qvas

QVas Tibi non debent laudes, Clarissime SCHARFFI,
Pierides? Phœbus quâ Te non laude coronet?
Et queis non cingant gratis Tua Tempora sertis
Eurynomæ Gnatæ? non nunc mihi, Prime Meorum,
In laudes libet ire Tuas, gratantia poscunt
Carmina Pæoniæ chartæ, qvæ mentis acumen
Monstrant insigne, & superans feliciter annos,
Teque novis Titulis Galeno Interprete donant: Et

Et modò si liceat Musæ qvoq;
paupertinæ
Votorum tenui versu subjun-
gere summam:
Regnator Superum non ære sed
arte redemtos
Ex omni, voveo, voto fortunet
honores
Et tua successu porrò conata
coronet,
Ne cadat hæc laudum boreæ
vel fulminisictu
Pyramis, aut livor ponat suf-
flamina famæ.

Clarissimo Dn. Doctorando, Fautori certissimo Amico suo atqve sympatriotæ summopere honorando

ὑπεχεδίασε

M. JOH. CHRISTOPH. Zellmann S.S. Th. Cult.

QVisquis apes, undasqve timet, ſpinasqve roſeti,
Non mel, non piſces, non feret ille roſas:
SCHARFFIADES animo volvens hæc, *acrius* usque
Exacuat mentem Pœonio ſtudio;
Nec patitur torpere gravi ſua dona veterno
Ingenii, genius corda animat melior.
Hinc ipſum labor & ſtudium, decus, ardor honeſti,
Ingenii vivax ala levabit humo.
Gratulor has animi dotes, flos nobilis almi
Phœbi, tuque animæ portio cara meæ.
Gratulor hoc ſpecimen, mentis quod monſtrat *acumen*,
Ac Tibi qvod ſpondet ſumma brabea brevi.
Gratulor hoſce novos titulos, gratatur Apollo,
Accinit & lætum turba novena melos,

l. mq. ſcrib.

MATTH. Weber/Bilâ-Schvvarzb. Phil. St.